



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De milite decollato, qui per eam euasit gehennam, cap. 58.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

alapam est sanata. Vocabatur Albertus, & licet corpore fuerit castus, satis tamen exiit secularis & delicatus; atque in vestibus curiosus. Ne tamen causari possis, quod vniuersorum Domina tantum claustralibus virginibus, vel continentibus decedentibus, suam presentiam visibiliter impedit, eosque ad vitam eternam perducatur, personam laicam & vxorata tibi proponam.

CAPVT LVII.

Civis quidam de Tulpeto, vir honestus, Cuno nomine, in hac extrema expeditione signatus, cum alijs peregrinis ad mare vsque peruenit: ibi grauiter infirmatus, cum moriturus esset, coepit mirabiliter iocundari: requirentibus socijs de causa letitiae, respondit: Quare non gaudeam? ecce Domina nostra sancta Maria hic praesens est, & hac mihi dixit: Cuno quia reliquisti vxorem, filios, & omnia tua, propter honorem filij mei periculis te exponens, ego bene & plenè retribuam tibi: qui statim exclamauit: En video caelum apertum, & in eo sedem mihi praeparatam, ad quam celerius sum ascensurus; moxque sacro oleo postulans se inungi, & viatico Domini corporis muniri, hominem peregre deposuit, & sicut verus peregrinus, in caelesti patria laboris sui praemium suscepit. **A P O L L O N I Y S:** Non miror, si homo iste justus, vel potius per crucis signationem iustificatus, tam mirifica vidit & promeruit, sed, si nosti, dic vnde mirer. **CAESARIUS:** Duo tibi dicam exempla diuinæ pietatis, eiusque genitricis, quæ te non solum in admirationem, imò etiam in stuporem meritò conuertant.

CAPVT LVIII.

Miles quidam nobilis, sed criminofus, tempore quodam ab inimicis suis captus est, & quia mortales erant inter eos inimicitiae, visum est eis expedire, vt in instati occideretur: cernens vir nobilis sibi mortem imminere, & nullum adesse remedium vitae, supplici voce dixit ad illos: Rogo vos intuitu Dei, vt ad modicum mortem meam differre dignemini,

mini, quatenus alicui sacerdotum peccata mea pos-
 sim confiteri. Responderunt illi: Non esset nobis hæc
 dilatio tuta; & contingere posset, vt cognati & amici
 tui venientes, eriperent te de manibus nostris, & esset
 error nouissimus peior priore. Cui cum præcepissent,
 vt se prosterneret ad decollationem, dixit hoc verbu:
 Deus tu scis voluntatem meam, & subjunxit: Ani-
 mam meam commendo Virginis filio: sicque decol-
 latus est. Erat tunc temporis obsessus quidam in vi-
 cinio, cui cum dicerent quidam, audita morte tanti
 tyranni: Modò magnum habetis gaudium, propter
 animam militis illius facinorosi: lugubri voce respon-
 dit: Nequaquam, vnum enim verbum moriens protu-
 lit, propter q̄ saluatus est. Haud dubiũ quin ope bea-
 tæ Virginis, cuius filio animam occidendus comisit,
 pœnis gehennæ sit subtractus, & cum latrone confi-
 rente paradisi gaudijs addictus. Aliud tibi referam, vn-
 de amplius mireris, quod mihi Abbas ordinis nostri
 retulit, circa hoc quinquenniũ dicēs illud contigisse.

Luc. 23.

CAPVT LIX.

IN vicinia ciuitatis Tridentinæ, sicut mihi retulit
 quidam Abbas, latro nominatus versabatur, à quo
 multi depredebantur, & qui se defendere voluerunt
 nec potuerunt, occidebantur: hic cum die quadam
 monachum quẽdam ordinis nostri obuium haberet,
 sperans quòd pecuniam portaret, ait: Nisi voluntariè
 sequaris me, occidam te, quem cū monachus seque-
 retur, & quæreret in via, quis esset, vel quid operis ha-
 beret? respondit ille: Ego sum latro ille famosus, no-
 men suum exprimēs, cui cum monachus diceret: Iam
 incipitis canescere, & non timetis animæ vestræ? re-
 spondit ille: Non plus quam pecus, & tacuit mona-
 chus: veniens in speluncam illius, ait intra se: Si posses
 hominem hunc conuertere, magnum Deo præstares
 obsequium, dixitq; ad latronem: Si licet mihi aliquid
 vos interrogare? respondente illo, licet; monachus sub-
 junxit: Qualis extitit vita vestra à principio? Respon-
 dit ille: Pessima; quando puer eram, cum omnibus
 meis coætaneis contendebam; factus adolescēs, furtis
 operam